

188











No. 188.



THEMATA
DE TERTIA PETITIONE DOMINICÆ
PRECATIONIS, AD QVÆ, DIE XXXI. MARTII, respondebit
IOHANNES PAVLI RESENSIS,
Præsidente
IOHANNE SASCERIDE.

TErtia petitio dominicæ precationis admodum quoq; notabilis est. Siquidem in ea cum orare iubemur, vt voluntas Dei tandem fiat in terris etiam, sicut fit in cœlis, tum certam accipimus promissionem, hoc ipsum petentibus iuxta Dei mentem omninò suo tempore futurum esse.

2. *Deus enim inani spe nequaquam nos lactat, neq; seriò nobis ea petenda præscribit, quæ nec ipse facere vult vnquam, nec fieri posse nobis vllo modo prævidet. Ideò certò statuamus, aliquando futurum, vt homines amplexi Christum, in terra Dei voluntatem ita faciant, vt fit in cœlis.*

3. *Quoniam itaq;, dum in hoc mundo super terram degimus, infecti manemus peccatis, quæ certè Deus minimè vult, inquirendum hîc nobis, quomodo Dei voluntas intereà, sicut fit in cœlis, etiam ab hominibus in terra præstari possit, ne frustrà planè tam diu Sanctorum cœtus id petere (quod neutiquàm sentiendum) videatur.*

4. *Quare sciendum initiò, quòd, etsi peccatum nullum omninò Deo placet, cum tamen id non tam voluntate nostra facimus, quàm inuiti patimur, eoq;, tanquam alieno damnatoq; à nobis, incedimus onerati (sicut Rom. 7: dicitur: Iam non ego operor illud, &c, quemadmodum & Christus alienum, nempe nostrum, non proprium suum tulit peccatum) Sanctis id pro peccato non imputet, sed gratis tum propter Christum, cui conformes ita sumus, condonet.*

5. *Intelligimus autem sic in nobis mortificatum, & velut annihilatum iri peccatum, si repertæ fuerint in nobis hæ sex conditiones, quas, vt rem totam pius lector melius percipiat, breuiter adscribemus.*

6. *Primùm, si, Christum fide recipientes, nosmet ei fideles exhibuerimus in ferenda virga paterna, seu cruce, qua Deus iustè nos, tanquàm filios, ptopter peccata nostra, castigat, & commonefacit, vt posthac simus diligentiores, & prudentiores in vitandis occasionibus, per quas ad peccandum faciliùs abripi queamus, & ne rursus in nobis homini veteri ferè deuicto sua frena laxemus.*

7. *Hanc vtiq; Dei nostri castigationem, tanquam vtilem & necessariam nobis libenter, immò cum gratiarum actione quoq;, semper amplecti debemus, nec animo propterea deijci, quasi minus ideo Christo simus accepti, sed in fide vera lætari potius, & gloriari quodammodo, quòd certum ita gratiæ, seu fauoris, beneuolentiæq; erga nos Dei testimonium habeamus.*

8. *Deinde si & alio tempore, dum crucem, aut angustiam fortè nullam, Dei gratia, sentimus, animo fuerimus non carnaliter securo, lætóue seu dissoluto, non feroce, non elato, superbóue, & arrogante, sed humili demissoq;, & paupere spiritu, mœrentes, & lugentes assiduè peccata, quibus adhuc in conspectu Dei grauiter inquinati deprehendimur.*

9. *Christus enim, vt Luc: 6. diuitibus, saturatis, & lætam agentibus vitam triste væ, nimirum æternas calamitates comminatur, sic ibidem (quemadmodum & Matth: 5.) beatos pronunciat spiritu pauperes, lugentes, & afflictos, quòd ad huiusmodi solos Regnum cœlorum, consolatioq;, & refectio cum animæ, tum corporis propriè pertineat.*

10. *Quod ipsum Dominus apertè quoq; docet, Matth. 11: cum ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Item: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, indicans, aliter eam nos haud inuenturos esse, quàm in hac humilitate, & afflictione cordis.*

11. *Tertiò, si pacifici, benigniq; erga miseros peccatores fuerimus, & ex vera misericordia neminem, quantumuis infirmum, & vel turpiter lapsum, vel in multis etiam, sine malicia tamen, errantem, damnauerimus, & à nobis alienum esse voluerimus, dum aliquod internæ conuersionis, veræq; pietatis indicium in eo superesse viderimus.*

12. *Quod concordiæ Christianæ studium nobis omninò necessarium est, quia Deus vult nobis esse propicius non alia lege, quàm si vicissim & ipsi proximo nostro propicij, seu misericordes, & benigni fuerimus, vt ait: Remittite, & remittetur vobis. Item Iac: 2.* ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος, καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, &c.

13. *Cum igitur ipsi quoq; vitiosi, cæciq;, & infirmi simus, & ex gratuita tantum Dei misericordia salutem in Christo speremus, facilè cernimus, quàm sit inanis nostra spes, vbi misericordiam, quam à Deo petimus, velut obliti nostræ miseriæ, gratuitæq; ab ea liberationis, misero & afflicto proximo superbè denegamus.*

14. *Quartò, si verum, & ardens quoq; liberationis à peccato, seu vitiositate (quam circumferimus in anima nostra, tanquam iam in rebus diuinis viuente, sentienteq;, & experrecta) desiderium repertum fuerit, & ex eo, quia non ocyus expletur, verus etiam dolor extiterit.*

15. *Quoniam vbi nondum hæc fiunt, animus adhuc stupet, necdum sua mala sentit: sicut corpus viuum, & vegetum, vbi fame sitiuè, aut alia quauis egestate laborat, non potest non ardenter simul & instanter necessariam ex potu cibóue refectionem appetere. Spectat igitur huc dictum Domini, Matth. 5: Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, siquidem hîc iusticia liberationem à peccato notat.*

16. *Quintò, ad hoc, vt à peccato liberi, Deiq; voluntatem implere iudicemur coram eius tribunali, requiritur etiam, vt promissam à Deo lucem, ac fœlicitatem, quemadmodum nobis ipsis, ita simul electorum omnium Ecclesiæ, cum certò speremus, tum & ardenter expetamus: adeoq; ei, suo quisq; loco, fideliter etiam inseruiamus.*

17. *Deus enim ita pios omnes, velut membra corporis vnius, inter se coniunctos esse vult, vt quæ nobis bona, salutaridue existimamus, adeoq; anxie desideramus, non possimus non & proximis nostris omnibus eadem sollicitè petere, quærereq;, & expectare, iuxta hanc posterioris in decalogo tabulæ summam: dilige proximũ tuum sicut teipsum &c.*

18. *Sexto & vltimo loco fit à nobis etiam hîc in terra Dei voluntas, dum in animo nostro iusticiam, Dei proximiq; dilectionem, & sanctitatem veram non modò desideramus, vti dictum anteà, sed etiam, per Christi gratiam & spiritum, ibi manifestè subinde lucere sentimus. Hæc enim arra salutis nostræ sanctis etiam in hac vita, quanquam interdum ad tempus occultatur, perpetuò tamen haudquaquam denegatur.*

19. *Atq; hæ sex conditiones in quocunq; verè complentur, in eo peccatum etiamsi residuum est, pro peccato tamen in iudicio Dei non reputatur, nec impedire potest, quo minùs homo quiuis eiusmodi, sic ad Christi spiritum & indolem sanctam conuersus, verè Dei voluntatem etiam hic in terra perficere censeatur: sicut à beatis omnibus illa fit in cœlis. Deus huc nos benigne promoueat & perducat, Amen.*

QVÆSTIONES:

1. An vllus homo sit in terra, qui non peccet?
2. An voluntas Dei perfici possit à miseris peccatoribus?
3. An perfectio sperari possit in hoc sæculo?
4. An perfectio cum vllo peccato consistere queat?
5. An Deus, qui gaudium purum est, velit hominis vitiosi luctum?
6. An verum & perfectum iusticiæ desiderium, sit coram Deo vera perfectaq; iusticia?

HAFNIAE Imprimebat Andreas Gutteruitz. Anno 1582.

